


**05**

**A**

**1756**









I. N. SS. T.  
EXERCITATIONUM ANTITIMPLERIANA-  
RUM PRIMA.

De

EnteRationis, Per-  
fectione, Compositione, U-  
nitate & Veritate,

Qvam

*publicæ exponunt ventilationi, & ad d. 6. Februarij,  
in Auditorio Minori horis pomeridianis defen-  
sum ibunt*

P R Æ S E S

M. JOHANNES SIMON

Dresdensis, Sch. Oppid. ConR.

&

R E S P O N D E N S

JOHANNES MANITIUS,

Elstrâ Lufatus.

A. O. R. M. DC. LVIII.

---

WITTEBERGÆ.  
LITERIS JOHANNIS HAKEN.



VIRIS

*Per-Reverendis, Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis, Virtute, Autoritate, Prudentiâ, plurimogq; rerum usu conspicuis & clarissimis.*

DN.DN. CONSULIBUS, cœterisq; inclutæ Reipublicæ, quæ in Camentio Lusatia superioris Sexapoli primariâ fovetur, Senatorij ordinis universis ac singulis dignissimis, meritisimis, integerrimis,

*Vt &*

*Reverendis admodum, Clarissimis, Pietate & Doctrinâ Religiosâ præstantissimis*

MINISTERII, ibidem Ecclesiastici

Dnn. Primario, Symmystis ac Pastoribus ut vigilantissimis, ita fidelissimis,

Dnn. Mecænatis, Patrueli, Fautoribus atqve Patronis suis debitâ animi observantia nunquam non reverenter suspiciendis



*Exercitium hoc Academicum primum in studiorum μαρτύριον, & debita observantia τεκμήριον sperat eq; faventia ἐμαρτύριον, sacrum esse voluit, quia debuit*

05 A 1756

Johannes Manitius,  
Respondens.





## Præloquium.



Non dubito fore permultos, qui hanc meam opellam, quâ Philosophiæ Timplerianæ examen jampridem à summis in Philosophiâ viris institutum molior, & frustraneam & præposteram existiment. Sed hi cogitent illud Horatij: Lectio lecta placet decies repetita placebit. Cogitent, nihil tam perfectum arte elaboratumque industriâ posse afferri, quin aliquid liceat addere successoribus. Quo ipso tamen nihil venerandæ Præceptorum auctoritati detrahere, mihiq; quicquam arrogare volo: illud saltem ostendere animus est, me non protritò incedere calle, aut post Homerum, quod dicunt, Iliada scribere. Propono enim quæstiones non nullas, plerasque à summis viris, quantum mihi constat, relictas, eâ procul dubio de causâ, quod gravioribus intèti, & difficiliorum in Timplero quæstionum enodatione occupati leviores attingere nollent. In illis levioribus ingenium juvenile exercere nec piget nec pudet. Deus adsit coeptis! Amen!

### Qv. I. An Ens reale & Ens rationis sint species unius generis?

Timplerus affirmat. Præsupponit tamen quoad statum controversiæ, se non loqui *de Ente rationis*, prout 1. accipitur *effectivè* pro omni eò, quod à ratione dependet, neque 2. de Ente rationis, prout accipitur *subjectivè*, & omne illud notat, quod in ratione inest, tanquam in subjecto, neq; 3. de Ente rationis *objectivè sic dicto*, hæc de omni eo, quod objicitur rationi, sed 4. de ente rationis, quod à ratione fingitur & excogitatur ad modum Entis realis, neq; citra mentis cogitationem existere aptum est. II Dicit, se non asserere ens in ordine ad ens reale esse *genus univocum, sed genus analogum seu πρὸς ἑς*. Affirmativæ suæ hæc substernit fundamenta 1. quia *ens reale & rationis inter se consentiunt definitione generali Entis, dissentiant verò speciali. Utrumque enim Ens est positivum essentiâ*

l. i. c. 3. q. 6

A 2

prædi-





præditum, sed differunt, quod illud per suam essentiam reipsâ etiam  
citra mentis cogitationem subsistere aptum est. Hoc verò solâ mentis co-  
gitatione ad modum entis realis fingitur, & citra eam nihil est. At ve-  
rò, si citra mentis cogitationem nihil est Ens rationis, quomodo  
rationem Entis saltē analogicè (analogiâ attributionis intrinsecæ)  
participare poterit? Certè Ens & nihil opponuntur contradicto-  
riè, unum ergò de alterius essentia esse nequit. 2. si Ens rationis so-  
lâ mentis cogitatione ad modum entis realis fingitur, patet facilè,  
ens reale & rationis non esse analogata entis, cum analogatum  
ignobilius non fingatur ad modum analogati primarii (sic acci-  
dens non fingitur ad modum substantiæ) sed saltem per posterius  
participet formam analogantem. 3. Neg. quod quæcunq; conve-  
niunt definitione generali & disconveniunt speciali, ea esse species  
seu univocas seu analogas unius ejusdemq; generis proximi. Quid  
enim, an species unius generis proximi cælum & hominem dictu-  
rus est Timplerus? Possunt dissentire definitione speciali, & gene-  
rali convenire, quæ saltem in remoto conveniunt genere. 4. Quæ  
conveniunt in definitione generali (cum Synonymorum juxta no-  
men synonymum eadem sit definitio) synonyma equidem rectè  
dicuntur, non verò ea analogata esse confestim evincitur, quod à ge-  
nere ad certam & determinatam speciem affirmativè non val-  
conf. Quicquid tamen sit, peccat 5. Timplerus in applicatione. Et-  
enim ens dicit esse positivum essentiâ præditum. At privationes &  
negationes entia rationis sunt, quæ tamen formaliter positiva non  
sunt. Et quamnam Essentiam habent entia rationis? nullam pro-  
sus, cum à parte cōceptus objectivi nihil sint. Si dicat habere Essen-  
tiam imaginariam (distinguit enim cap. 1. l. 1. in præc. inter Ef-  
sentiam realem & imaginariam) Respon. Ista essentia ima-  
ginaria est non essentia, sicut spatia imaginaria sunt non  
spatia. Nondum ergò probavit, quod definitione Entis generali  
conveniant Ens reale & rationis, id quod sibi sum serat probandū.  
6. Definitione speciali dissentire Ens reale & rationis concedimus,  
at illud tantum abest, ut importet analogiam attributionis, ut et-  
iâ in homonymis & analogis proport. onis idem sæpè deprehenda-  
tur. Quamvis etiam, (quod obiter monemus) in describendo mi-  
nus accuratus Autor noster fuerit. Sed satis de hisce. Ad 2. rationem  
pergimus, ubi affirmativam suam immotam persistere autumat,  
quia



quia nullum ens esse vel excogitari potest, quod ad alterutrum divisionis membrum non possit referri. Abludit verò prorsus à statu controversiæ; non enim quæritur, an divisio hæc sit adæquata, sed an sit analogi in sua analogata. 2. neque etiam ex eò deduci potest quæstio posterior, quia adæquatum esse bonæ divisionis communis conditio est, non certo cuidam divisionis modo propria. Ut magis pateat falsitas hujus argumenti, addo 3. Ens adæquatè dividitur in positivum & negativum, animal adæquatè dividitur in hominem & brutum. E. ens respectu entis positivi & negativi, animal ratione hominis & bruti est analogum, ἀτόπων ἀτοπώτατον! Ad 3. Argumentum, quo saltem probat ex distinctione reali & rationis, ex relatione item reali & rationis adæquatè dividi Ens in reale & rationis eadem responsa sunt.

Sed videamus etiam, quomodo Timplerus, & quo conatu studeat labefactare argumenta, quæ pro negativâ adducuntur 1. adducit pro negativa, quod Ens rationis non sit verum Ens, sed quasi umbra Entis, & excipit, se concedere Ens rationis non esse verum Ens, si accipiatur pro Ente reali, esse tamen verum Ens, in quantum sumitur pro eò, quod non falso, sed verè dicitur Ens. Resp. male fingit verum quoddam ens, quod non sit reale, 2. non quæritur an falso dicatur ens, sed an verè sit Ens, falso dici ens nentiquam admittimus, quamvis impropriè dici concedamus lubenter. 2. adducit eam rationem, quod ens rationis nullam præter nominis communitatem habeat cum ente reali & excipit, quod definitio entis generalis etiam secundum analogiam competat enti rationis. Sed præter ea, quæ supra ad 1. pro affirm. argumentum diximus Resp. Definitionem Entis competere enti rationis per analogiam, verum non attributionis sed pro portionis. Quid verò inde colligitur, quàm distinctionem entis in ens reale & rationis esse divisionem æquivoci in æquivocata. Ad 3. argumentum, quod concludit ex eò, quod ens rationis per se non sit intelligibile, excipit quidem negando, ens rationis per se esse intelligibile, licet enim per comparisonem ad verum h. e. reale ens melius & clarius intelligi possit; tamen per propriam etiam speciem mente factam apprehendi aptum esse. Verum enim verò per se non intelligi entia rationis ex inductione eorundem facilè patet. Entia rationis puræ non cognoscuntur, nisi per modum entium realium, ex quibus tanquam partibus in intellectu componuntur, uti liquet



exemplo cerberi, montis aurei &c. Quæ verò rationis ratio-  
 cinatæ dici sive entia, & in specie notiones secundas directè non  
 cognosci docet pl. Rever. atque Excell. Dn. D. Calov. Gnostol. cap. 1.  
 can. 8. Quartum argumentum à privationibus & negationibus de-  
 sumptum labefactare studet inficiando, quod privationes & negatio-  
 nes ad entia rationis spectent. Ast ad entia rationis pertinere pri-  
 vationes & negationes, à pluribus non imi subsellii Philosophis  
 demonstratum. Vid. B. Dn. D. Jac. Mart. Part. Met. l. 2. sect. ult.  
 Scheibl. l. 1. Met. c. 27. n. 57. seqq. Fr. Suarez. disp. 54. sect. 31. 2. ne-  
 gat id Timplerus sine ratione, nudæ igitur ipsius assertioni assenti-  
 re non tenemur, 3. quod dicit, hoc pugnare cum primis principiis  
 ab se cap. 2. allatis, nos non movet. Etenim num omnia, quæ pro  
 principiis venditantur, principia sunt? Deinde prima ista principia  
 Timpleriana examinata jã dũ sunt à B. Jac. Mart. in Part. Met. 4.  
 nequicquam provocat ad cap. ult. libri 5. ibi enim qv. 3. quidem  
 negat privationem esse ens, idque quinque fundamentis confir-  
 mat, quæ tamen omnia ita comparata sunt, ut saltem evincant,  
 privationem non esse propriè sic dictum & reale ens, neutiquam  
 ens rationis dici non posse privationem arguunt.

**Qv. II. An perfectio rectè dividatur in moralem,  
 naturalem & transcendentalem?**

l. 2. Met. c.  
 1. qv. 7.

Fonsccam triplicem tradere perfectionem innuit noster,  
 naturalem nempe, moralem & transcendentalem, eò ipso tamen  
 in regulas Logicas impingere eundem, cum 1. perfectio transcen-  
 dentalis tanquam genus suo ambitu complectatur naturalem & mo-  
 ralem, & 2. perfectio communis possit dici naturalis, quatenus vocabu-  
 lum illud in latã significatione accipiatur, neque ad solas res phycas re-  
 stringatur. Nos quidem non negamus hanc trichotomiam ad  
 dichotomiam redigi posse, concedimus etiam plura posse addi-  
 membra: Timpleri tamen emendationem approbare non possu-  
 mus i. enim falsum est naturalem & moralem sub transcendentali  
 perfectione contineri, ut species sub suo genere. Nulla perfectio  
 accidentalis perfectionis essentialis s. transcendentalis species est. Per-  
 fectio naturalis & moralis est perfectio accidentalis E. neque natura-  
 lis, neque moralis perfectionis essentialis s. transcendentalis species  
 est.



est. Neque 2. naturalis perfectio ad solas res physicas restringitur, etiam naturalis perfectio in spiritibus creatis est. 3. posito perfectionem naturalem etiam generaliter accipi posse & pro perfectione communi, tamen in divisione reali non nisi vitiosè assumitur vox, quæ ob ambiguitatem suam duo divisionis membra simul involvit.

### Qv. III. An compositio ex esse & essentia sit compositio realis?

Concedit quidem ratione Dei hanc compositionem non realem esse, negat tamen de Creaturis Timplerus. Et hanc in rem l. 2. Met. 6. 2. qv. 5. producit duo argumenta. Primum proponit hunc in modum: O, compositio, quæ constat ex terminis realiter distinctis est distinctio realis. Talis autem est compositio ex esse & essentia, s. per τὸ esse intelligas ipsum ens, s. existentiam entis. Suprà enim lib. 1. satis demonstratum fuit realiter inter se differre ens ejusq. essentiam & existentiam. Secundum, quod majoris momenti, ita habet: quia nulla compositio rationis est essentialis Creaturæ, cum extrinsecus tantùm ei adveniat ex rationis conceptione. Compositio autem ex esse & essentia Creaturæ est essentialis, quemadmodum ipse Franc. Suarez. concedit. Nulla enim creatura est, aut esse potest, quæ ex esse & essentia nõ sit composita. Proinde compositio ex esse & essentia non est compositio rationis, sed realis. Resp. ad 1. Ens & essentiam realiter distingvi dicit quidem Timplerus, sed non probat. Proponit quidem nonnulla in speciem argumenta l. 1. c. 3. qv. 2. quæ verò jam dum discussa sunt à B. Dn. D. Mart. Part. Met. l. 1. sect. 2. qv. 7. ut in iis solvendis de sudandum haud videatur, ne actum agamus, nec minus veritati dissentaneum, quod dicit, essentiam & existentiam realiter differre. Etenim si existentia creaturis est essentialis & interna, uti ostendit Excell. Dn. D. Calov. Metaph. div. part. gener. c. 3. par. 10, quomodo realiter ab earundem essentia differre poterit? In iis, quæ realiter differunt, unum quodammodo est extra rationem alterius, neque sibi simpliciter identificantur illa, sicut essentialia essentiæ. In II. Argument. ludit æquivocatione vocis essentialis. Nam per Compositionem essentialem vel intelligitur talis compositio, quæ essentia ex suis partibus essentialibus conflatur, vel vocatur essentialis eò sensu



sensu, quod fundamentum isti in mente compositioni præbeat ipsa creaturarum essentia. Si prius obtineat significatum, negamus compositionem hanc esse essentialem, quandoquidem seclusâ omni aliâ compositione, essentia creaturæ propterea non componitur. Si verò posterior obtineat significatio, negamus quod nulla compositio rationis sit essentialis; potest enim fundamentum compositionis mentalis esse ipsa essentiæ ratio.

**Qv. IV. Quomodo differat compositio ex esse & essentiâ à compositione ex naturâ & supposito?**

Respondet Timplerus l. c. *differre tanquam communius ab angustiori, modò per esse intelligatur ipsum Ens. O. enim compositionem ex natura & supposito esse compositionem ex essentiâ & ente; sed non contra, hanc semper esse illam: eum ens latius pateat, quam suppositum, quod tantum notet substantiam singularem.* Pessimè omnia. præterquam enim quod suppositum confundat cum substantia singulari, in eò fallitur quam maximè, quòd omnem compositionem ex naturâ & supposito putet esse compositionem ex esse & essentia. Etenim si hoc verum est, & in Deum cadet compositio ex esse & essentia, quæ tamen à Deo omninò removenda venit. Caderet inquam, hoc pacto in Deum compositio ex esse & essentia, cum Deo tribuere compositionem (saltem rationis) ex naturâ & supposito nil vetet. Quid? quod nulla prorsus compositio, ex naturâ & supposito sit compositio ex Essentia & ente, id quod tam manifestum, ut à nemine, nisi qui suppositum abstractivè & formaliter saltim modum entis esse ignorat, in dubiũ vocari possit. Ad hæc compositio rationis est compositio ex Essentiâ & Ente, quæ verò ex naturâ & supposito resultat realisquãdoq; ut sic opposita potiùs, quã subordinata sint. Pergit Timplerus: *Si verò per esse intelligatur ipsa existètia, differt tanquã compositio ex causa & effecto à compositioe ex abstracto & concreto. Essentia enim est causa efficiens existètia, ut supra probatũ fuit.* Quo ipso & novos planè compositionis modos fingit, nec minus in applicatione hallucinatur. Quid compositio ex causâ & effecto sibi vult? Quid compositio ex abstracto & concreto? concretum est ipsum compositum, non pars componens. Neque  
suppo-



Suppositum hic coneretivè accipiendum, sed abstractivè pro suppositalitate. Præterea estne existentia effectus essentia? non sanè: effectus naturâ posterior est causa. Sed existentia formaliter Ens constituit, adeoque naturâ posterior ente esse nequit.

### Qv. V. An compositio ex genere & differentia sit realis?

Communiter negari solet quæsitum. Timplerus autem *dist*inguit inter *subjecta*, quibus applicatur hæc compositio. *Respectu Dei* l.c. qv. 6. enim esse compositionem rationis, cum Deo genus & differentia non nisi nostro concipiendi ordine attribuatur; esse autem realem, quatenus intelligatur de ente creato. Nos uti Deo attribuendam esse hanc compositionem negamus, ita nullo pacto, ne quidem respectu creaturarum realem eam dici posse admittimus. Nec obstat, quod Timplerus dicit, genus & differentiam esse attributa realia, à quibus etiam realiter differat ens creatum, cum tamen aliàs compositio realis sit, quæ constat ex terminis realiter inter se distinctis. Si quidem genus & differentia (hic enim materialiter accipiuntur) esse attributa realia concedimus: non tamen statim, ubi attributa realia, ibi realis compositio est, nisi etiam in Deo realem velit admittere compositionem Timplerus. Quamquam etiam realem distinctionem inter partes componentes & totum compositum fingat, quod ne quidem in realissimâ compositione fieri solet. Ut taceam nec ab ente creato nec inter se (quo tamen vel maximè nervus argumenti continetur) realiter differre genus & differentiam *Conf. si libet. Scheibl. Met. l. 1. c. 5. art. 4. n. 39.*

### Qv. VI. An unum & Ens sint idem realiter?

Quod affectiones entis ab ente non differant realiter notum *l.c. cap. 3.* *qv. 4.* est, qui vel primis labris degustare Metaphysicam. Unitatem verò affectionem entis esse nôrunt iidem, nec abnuat Timplerus. Et nihilominus tamen ens & unum differre statuit realiter. Præmonet verò *se non loqui de ente ut sic, sed saltem de ente creato.* Rationes suæ assertionis subjungit hæc 1. quia differunt inter se definitione Essentiali: Ens enim est aliquid positivum Essentia præditum Unum verò est, quod est indivisum secundum certam aliquam rationem

B

nem



2. quia Ens denominatur ab essentia, unum vero ab unitate, 3. quia unum de pluribus predicatur, quam ens, nam & essentia & privatio sunt unum quid. 4. quia ens diverso respectu potest esse, unum & non unum ut infra probabitur. Veruntamen singula confutare in facili est. Ad primum respondemus, Ea, quæ definitione qualicunque differunt, non ilico differre realiter: Hinc etiam non refertur hoc inter *γνωρίσματα* distinctionis realis, sed saltem formalis seu rationis. Et si differunt realiter, quorum diversæ sunt definitiones cur non etiam attributa divina essentialia inter se realiter distincta esse dicamus. Quamquam nec per omnia dissonent, nequidem prout à Timplero proponuntur definitiones entis & unius, nec definitiones istæ sunt essentialia. Ad secundum Respondet à diversitate notationis ad ipsam rei diversitatem i. e. ad realem distinctionem sophisticè concludi. Homo dicitur ab humanitate, animal ab animalitate, substantiâ à subsistentiâ, Ergone homo, animal & substantia differunt realiter? absolum! quæ enim essentialiter de homine posset prædicari animal & substantia, si non idem quoad rem essent. Nec minores ineptias prodat *tertio argumento*, dum à diversâ latitudine prædicandi colligit diversitatem realem. Qui processus si legitimus, quodvis genus à speciebus suis distingui realiter necessum erit. Neque tamen unum de pluribus dici, quam ens ostendit aut ostendere potest. Quomodo enim pluribus tribui posset affectio cū subjecto, quam ipsum subjectū, à quo affectio non nisi ratione distinguitur. Dicit quidē essentiam & privationem esse unum, sed si essentia est unū, estne aliud quid unum præter ens? non fanè. Si diceret essentiam & ens esse oppositas species, petit principium. Privationem quod concernit, dicitur ea unum quid analogicè, quo enim quodcunque modò ens est, eo & unum est. Ad quartum Ens diverso respectu unum esse realiter, quæ probabitur? Nos nil nisi illud *Scheibleri l. c. c. 4. n. 38.* adjicimus, *si ens est multum est divisum, si autem est divisum, utique esset & divisa entitas, ubi verò diverse entitates, ibi nō est ens, sed entia, Ergo quod non est unum, non est ens sed entia.* Hactenus vidimus Timplerum suæ thesios *φύλακα*, videbimus etiam eundem contrariam sententiam impugnantem. Examinat quippe argumenta, quibus antithesis nititur; sed examinat ita, ut parum

roboris



reboris iisdem decedat. i. format objectionem ex Aristotele l. 4. Metaph. c. 2. asserente τὸ ὄν καὶ τὸ ἐν ταυτὸν καὶ μίαν φύσιν, idque probante l. 10. Met. c. 2. partim quod ens & unum æquè latè pateant, & maxime universaliter de omnibus prædicentur, partim quod in prædicatione unus homo non addat aliquid aliud quàm homo, partim quod unius esse est cuiusq; esse. Respondet postmodum Aristotelem hic aut errasse, aut intelligendum duntaxat de ente primo & increato. In rationibus verò allatis petere principium. Verùm salva res est, præter meritum hic castigat Philosophus Aristotelem. Timplerus ipse potius, quia præconceptis opinionibus nimium fidit hujus criminis reus, & minus circum spectè fingit Aristotelem tantum loqui de ente primo, Si enim loquitur de ente primo, cur exempli loco adducit hominem, cur dicit Ens & unum maxime universaliter (non de solo Deo sed) de omnibus prædicari? 2. objicit sibi ens & unum non esse naturæ diversæ, idque negat, quod non tantum ens & unum sint diversæ naturæ, sed etiam ab homine prout homo est. Ens enim ad hominem dicit se habere ut genus ad speciem, unum verò tanquam adjunctum generale ad suum subjectum. Tot ferè vitia, quot verba. Qvis dicat, unum & Ens esse realiter diversæ naturæ? quis dicat ens ad hominem se habere ut genus (univocum) quis unum dicat adjunctum? aliud certè unitas, aliud unum est. Præterea si ens & homo differunt ut genus & species, sicut natura generis à naturâ speciei non realiter est diversa, ita homo quia homo est ab ente non differt, quamvis formale discrimen remaneat. Esto etiam unum (seu unitas) adjunctum generale, non tamen omne adjunctum à suo subjecto differt realiter? imo nullum attributum entis generalissimum ab ente realiter est distinctum.

### Qv. VII. An aliquod ens possit esse unum & non unum?

Ideò hanc subjungimus quæstionem, quia in antecedente, l. c. qv. 5. Timplerus promisit, se probaturum, quod ens diversò respectu possit esse unum & non unum. Videamus igitur, quid tantò ferat hic promissor hiatus. Primò in mediū affert rationem: *Quicquid non implicat contradictionem, illud potest fieri, Atqui ens, aliquod diverso modo ac respectu esse unum & non unum non implicat*

B 2

contra



contradictionem, E fieri potest. Deinde adducit quædam exempla. *1. attributa divina sunt unum realiter, multa ratione 2. Ens creatum, quod per se & simpliciter unum, per accidens & secundum quid non est unum sed multiplex vel causa vel effecto, vel subjecto vel adjuncto 3. & quod unum est genere, non unum est specie: quod unum specie, id non est unum numero seu individuo.* Singula hæc facile solvuntur, dummodo supponatur. *1. non quæri de ente in eâ latitudine accepto prout in ens per se & per accidens dividitur: Sed de ente verè ac propriè dicto quod est ens per se (Ens enim per accidens non tam ens quàm entia est) 2. non quæri de unitate, ut & multiplicitate rationis, sed rei. Etenim ens per accidens verè multum, certò respectu unum dici posse non infirmamur: sicut neque id negamus, quod quæ à parte rei multa, ob mutuam, quam habent, convenientiam, ratione unum, fieri possint: vel quod unum diversas involvat relationes. quarum intuitu (si cui ita libeat) multiplex dici possit. Quod jam concernit *argumentum* negamus minorem propositionem simpliciter. Scilicet non potest ens per se, diverso modo & respectu esse unum & simul multiplex (loquendo de unitate & multiplicitate reali. Si enim est ens per se, est prorsus indivisum, sicquæ neutiquam divisum & multiplex, & si est divisum & multiplex, non est ens, sed entia. Ad *Exempla* responsio è dictis constat, in *specie tamen ad 1. Resp* non quadrare illud, quum sermo hîc sit de ente, sed ille affert attributa divina, cur non potius essentiam divinam esse unam dixit? an quia cum essentia *ταυτò*? At illa tamen reipsa non multa sunt. Quid? quod ne ratione quidem multa sint, distinguuntur quidem, sed non separantur: distinctio autem, quæ separationem conjunctam non habet, multitudinem non parit, aliàs & realiter distincta, quæ talia, multa essent, cui tamen sæpius obstat unio: *ad 2.* multiplex verè non est, quod plures agnoscit causas: possunt enim plures causæ concurrere ad unum effectum & constituendum & producendum: neque etiã propter plures effectus causa multiplicatur; una quippe arbor plura producit poma, & una tamen permanet, fructus multiplicatur non arbor. Neque etiam subjectum multiplicatur ob adjuncta. Manet una anima, utut pluribus facultatibus prædita sit. Denique *Multiplex aliquid fieri ratione subjecti, nisi multiplicitas istâ explicetur**



plicetur per subjectum quod & quo, falsum est. unum enim numero accidens non potest esse in pluribus subjectis. Ad 3. in Genere esse unitatem rationis, multitudine realem in Speciebus, sic quoque in specie est unitas rationis & in individuis multitudo realis. Nondum itaque probatum, posse aliquid simul esse unum & multiplex ita ut & unitas & multitudo vera ac realis sit.

**Qv. IIX.** An veritas sit attributum entis reale & absolutum ab eoque realiter distinctum?

l. 2. c. 8.

qv. 4.

Pro thesi affirmante, quam approbat Timplerus, præsertim si intelligatur de ente reali & creato adducit has rationes I. quia veritas inest enti citra mentis cogitationem & fictionem ergo est aliquid reale 2. quia veritas est qualitas & perfectio absoluta. 3. quia veritas nec est relatio, neque aliquid à relatione denominatum, ut patet ex divina veritate. 4. quia veritas denominat ens, & ei inest, tanquam adjunctum suo subjecto. Denominans autem realiter differat à denominato in entibus creatis, quemadmodum etiam adjunctum à suo subjecto. At distinctæ sunt quæstiones, quæ unâ eademque responsione absolvi nequeunt. Quod sit attributum entis reale Veritas, haud inviti largimur, quod & evincit primum argumentum. Quod dicente Timplero à Scholasticis obtenditur, veritatem extra intellectum non dari in rebus ipsis, id petitionem principii, cujus & à Timplero arguitur, redolet. Quod verò sit absolutum & realiter ab ente (etiam speciatim creato) distinguatur negamus. Et primò quidem probatum damus ex 3. pro negat. à Timplero adducto argumento (secundum enim ipsimet mittimus) ita colligentes. O. Conformitas est relatio, Veritas transcendentalis est conformitas, ergo est relatio, adeoque non attributum aliquid absolutum, sed respectivum. Major per se liquet, minor probatur ex eo, quia formalis ratio veritatis consistit in conformitate cum intellectu potissimum divino. Illud saltem notandum, veritatem non dicere relationem quandam prædicamentalem & externam, sed transcendentalem & internam ipsi enti essentialem, ita ut non nisi ratione ab eo distinguatur. Excipit Timplerus fatendo, quod veritas in conformitate consistat, illam verò conformitatem ita explicandam esse addit, ut non similitudo, quæ sit inter res conformes, sed qualitas, per quam aliquid dicatur congruere vel secum vel cum alio intelligatur.



*ur* Verum ut magnas pro ingenuâ confessione ipsi agimus gratias, ita miramur majorē in modum tantum definitionis interpretem, nullum suæ explicationis fundamentum præter illud *αὐτὸς ἔφα* addidisse. Qv̄i verò nobis nudâ assertionē persuadere posset, per conformitatem (similitudinem nos non dicimus neque pro iisdem agnoscimus conformitatem & similitudinem) non relationem sed q̄ualitatem propter q̄vam ens illam conformitatem habeat, indigitari. In definitionibus certè, q̄voad fas est, proprietati studere oportet, an verò is propriè loquitur, q̄vi conformitatem pro q̄ualitate, in q̄vâ conformitas fundata est ponit? Etsi veritas in ente creato est q̄ualitas, q̄v̄i evitabitur processus in infinitum? Hæc enim q̄ualitas cum sit ens, iterum mediante aliâ q̄ualitate obtinebit suam veritatem, & hæc nova veritas, cum sit ens, iterum vera erit per aliam q̄ualitatem. & sic in infinitum, Posterius q̄vòd nempe veritas ab ente etiam creato non differat realiter, probatur exinde, q̄via veritas nihil addit enti, q̄vòd ab eo sit realiter distinctum, in q̄vo q̄vamvis Timplero videamur principium petere, argumentum tamen tamdiu manet inconcussum, donec adversarius edisserat illud, q̄vòd enti creato addit veritas transcendentalis. Q̄vòd enti ut sic non addat aliquam entitatem vel inde constat, q̄via aliàs & Deus ens simplicissimum foret compositus. Q̄vòd verò neque enti creato, id constat partim exinde, q̄via unitas non addit peculiarem entitatem, q̄væ verò esset ratio diversitatis in hisce duabus affectionibus ejusdem subjecti, partim q̄vòd omne ens creatum præcisò omni eo, q̄vòd extra essentialē est, in se & sua essentia verum permanet. *Vid. Dn. Scheibl. l. 1. Met. c. 9. n. 16.* Superest ut ad argumenta Timpleriana respondeamus. *Primum* suprâ concessimus. In *secundo* supponit veritatem esse q̄ualitatem. At. 1. q̄ualitas non inest sed subest enti. 2. hæc falsa hypothesis jam dum in antecedētibus est detecta. In *tertio* mirari subit, cur Timplero ex veritate divina velit æstimare veritatem creaturæ, cum tamen diversitatem hîc esse, ipsemet professus sit. Ad hæc perperam negat veritatem divinam formaliter esse relationem. Utiq; etiam essentia divina refertur ad intellectum divinum, si non ut normantem, tamen ut cognoscentem, essentia enim divina ab intellectu divino ut Deus cognoscitur, & sic verè Deus dicitur. *Ad quartum* Resp̄  
denowi-



denominari quidem ens à veritate, sed transcendentaliter, posse  
etiam suo modo adjunctum dici, si terminus ampliatur. Sed quid  
inde, an omne adjunctum à suo subjecto differt realiter, an deno-  
minationes transcendentales inferunt realem formæ denominã-  
tis à denominato distinctionē. Et licet veritas ad creaturas restrin-  
gatur, tamen & eas veritas denominet transcendentaliter, cum  
ens creatum transcendat substantiam & accidens. Et tantum etiam  
de hâc quæstione.

---

**A**rdor honestus agit juvenes, subit alter &  
alter,

*Virtutiq; sua præmia quisque capit.*

*Tu quoque, MANTI, noctuq; diuq; laboras,  
Hinc capies capiti præmia digna tuo.*

Johannes Meisnerus, D.

---

*Ad præstantis. Dn. Respondentem.*

**S**unt quæis Transcendentalis speculatio for-  
det,

qui sibi persvadent nil sapere Entisophos.  
Longè alia est, non hæc tibi mens, perdocte Ma-  
niti,

Artibus ingenium his excoluisse placet.  
Gratulor hanc mentem, atq; hos ausus, hosque  
labores,

quos exanthlasti præmia magna feres.

f.  
**PRÆSES.**

Ad



Ad præeximium atque Eruditissimum Dn. Re-  
spondentem Fautorem & conterraneum meum  
Ivavissimum fraternè dile-  
ctum.

**S** Candere conaris Cathedram cum laude Ly-  
cæi

*Et naturam Entis mente probare sagax.*

*Laudo tuū cœptum: Mystera mente volutans,*

*MANITI, Sophia: magna brab'ea feres,*

*Nil Sophiã utilius, nihil est & dulcius ipsã,*

*Hanc comitatur honos, hanc comitantur  
opes.*

*Quas nec Neptunus Pelagis submergit in undas;*

*Quas nec Vulcani per dita flamma vorat.*

*Pergito, sic apices poteris cognoscere & ipsos,*

*Discussã nodos solvere nube graves.*

**Johannes Georgius Gerschnerus,**  
Lichtenhaynenf. Phil. Stud.





05 A 1756

ULB Halle  
003 785 920

3




DMX











I. N. SS. T.  
EXERCITATIONUM ANTITIMPLERIANA-  
RUM PRIMA.

*De*  
**EnteRationis, Per-  
fectione, Compositione, U-  
nitate & Veritate,**

*Qvam  
publicæ exponunt ventilationi, & ad d. 6. Februarij,  
in Auditorio Minori horis pomeridianis defen-  
sum ibunt*

**P R Æ S E S**  
**M. JOHANNES SIMON**  
Dresdensis, Sch. Oppid. ConR.

&  
**RESPONDENS**  
**JOHANNES MANITIUS,**  
Elstrâ Lufatus.

*A. O. R. M. DC. LVIII.*

---

WITTEBERGÆ.  
LITERIS JOHANNIS HAKEN.